



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 126. Concordia cum Protestantibus in Occidania, & Delphinatu inita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI,
A.C. 1578.

§. CXXVI.

Concordia cum Protestantibus in Occidania, & Delphinatu inita.

Thuan. l. 66. Vie du Connest. de l'Es-diguieres l. 1. Interea Diguierius Delphinatus Prætor Catholicos cum Protestantibus componere, atque nuperi edicti executionem in Galliis urgere adlaborabat, Bellogardius vero Marescallus, cum frustra pacem conciliare niteretur, Villanovam prope Avenionem secessit. Sub idem quoque tempus datum fuerat negotium Joanni Monlucio Valentiaë carvarum, ubi tunc erat, Episcopo, ut per Septimaniam edicti executionem procuraret, qua de re ille cum Bellogardio, & Simiano Gordio ipse egerat, missoque in aulam Ralieto, ut mandata a Rege acciperet, iis decima tertia Kalendis Martii acceptis Uticam se contulit, ubi Protestantes, ad seditionem promptos offendit, quos habita oratione utcunque placavit, pactumque die quinta Aprilis acceptari curavit, quo sancitum, ut edictum Mense Septembri anni prioris conditum religiose servetur: insuper Laurentius Maugironus colloquio Buxeti in Delphinatu habito cum Diguierio convenit, ut tandem, donec edictum plene executioni demandatum esset, Protestantes in Delphinatu loca, quæ tenebant, servare

Sæcul. XVI.
A.C. 1578.

vare possent, illisque duo aureorum mil-
lia per singulos menses ad alenda præ-
sidia pro sua defensione a Rege exsolve-
rentur : id vero, ubi ex ipsius literis in
aula cognitum est, Regina parens æger-
rime tulit, & magnum negotio a se a-
pud Navarræ Regem suscepto præjudi-
cium fieri rata, apud Regem graviter
ea de re exostulabat, ac propterea se-
verius cum Maugirono actum iri pleri-
que existimavere, sed filii sui favor, qui
patri præfecturam conciliaverat, eum a
justa Regis ira protexit. Tandem ve-
ro Maugironus hanc rem meliori, quo
potuit modo composuit.

§. CXXVII.

*Reginæ Matris iter in Aquitaniam ad
reducendum Navarræ Regem.*

Paulo post Regina Mater in Aquita-
niam profecta est, eamque comita-
batur Margarita Regina Navarræ Re-
gis conjux, quæ ad Maritum suum ac-
cedendi veniam jam dudum efflagita-
bat: itaque Regina Burdegalam veniens
ibidem cum summa magnificentia exci-
pitur, inde vero quosdam ablegabat,
qui cum Protestantium Deputatis apud
Navarræ Regem commorantibus age-
rent: verum hic Rex ob adversas regni
sui vicissitudines ad acceptandam pacem
veluti vi adactum sese cernebat, cum

Mem. de la
Reine Marg.
l. 3.
Matthieu l.
7.
Avila l. 6.

Gg 5 ad